



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Doctor Mellifluus S. Bernardus Magnæ Matris Cultor  
Eximius, Et Ex Ordine Sancti Benedicti Sacellanus  
Quartus. Sive Ea quæ Doctor mellifluus de laudibus  
Virginis Matris scripsit in gratiam magnæ ...**

**Bernardus <Claraevallensis>**

**Nevhsii, MDCLXXV.**

Ex Sermone III. In Purificatione beatae Mariae. §. primus & secundus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37156**

& inaniter super carnalibus propinquis suis solent esse solliciti,  
ac si adhuc viverent & ipsi cum eis?

## EX SERMONE III.

In Purificatione beatæ MARIÆ.

*S. primus & secundus.*

Purificationem beatæ Virginis hodie celebramus, quæ secundum legem Moyfi facta est *Levit. 12.* transactis à Nativitate Domini quadraginta diebus. In lege enim scriptum erat, ut mulier quæ suscepto semine peperisset filium, immunda esset septem diebus, & octavo die circumcideretur puer: dehinc absolute & purificationi intenta, abstineret ab ingressu templi triginta tribus diebus, quibus expletis offerret filium Domino cum muneribus. Sed quis non advertat in ipso sententiæ hujus initio, liberam Matrem Domini ab hoc præcepto? Putas enim, quia dicturus Moyses mulierem, quæ peperisset filium, immundam esse, non timuerit super Matre Domini blasphemix crimen incurrere, & idcirco præmiserit suscepto semine? Alioquin nisi parituram prævidisset sine semine Virginem, quæ necessitas erat de suscepto semine fieri mentionem? Patet itaque, quod Lex illa Matrem Domini non includit, quæ non suscepto semine filium peperit, sicut prædictum erat per Hieremiam: *Quia novum faceret Dominus super terram. Quæris quod novum? Mulier, inquit, circumdabit virum Hier. 31.* Non ab altero viro virum suscipiet, non humana lege concipiet hominem: sed intravitæra intacta & integra virum claudet: ita sanè ut intrante & exeunte Domino, juxta alium Prophetam *Ezech. 44.* porta orientalis clausa jugiter perseveret.

Putas ergo, non poterat moveri animus ejus & dicere,  
Quid mihi opus Purificatione? Cur abstineam ab ingressu templi.

pli, cujus uterus nesciens virum, templum factus est Spiritus sancti: Cur non ingrediar templum, quæ peperit Dominum templi? Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum: nimirum cum proles ista fons puritatis sit, & purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet observatio, quæ purissima facta sum in ipso partu immaculato? Verè ô beata Virgo, verè non habes causam, nec tibi opus est purificatione. Sed numquid filio tuo opus erat circumcisione? Esto inter mulieres tanquam una earum, nam & filius tuus sic est in numero puerorum. Circumcidi voluit, & non multo magis velit offerri? Offer filium tuum Virgo sacrata, & benedictum fructum ventris tui Domino repræsenta. Offer ad nostram omnium reconciliationem hostiam sanctam, Deo placentem. Omnino acceptabit Deus Pater oblationem novam, & pretiosissimam hostiam, de qua ipse ait: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, Matt. 3.* Sed oblatio ista, Fratres, satis delicata videtur, ubi tantum sistitur Domino, redimitur avibus, & illico reportatur. Veniet quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, sed extra civitatem inter brachia crucis. Veniet quando non redimetur alieno, sed alios redimet sanguine proprio, quia in redemptionem eum misit Deus Pater populo suo. Illud erit sacrificium vespertinum, istud est matutinum. Istud quidem jucundius, sed illud plenius. Istud enim tempore Nativitatis, illud jam in plenitudine ætatis: de utroque tamen potes accipere, quod Propheta prædixit: *Oblatus est, quia ipse voluit, Isai. 53.* Nam & modò oblati sunt, non quia opus habuit, non quia sub legis edicto fuit, sed quia voluit: & in cruce nihilominus oblati sunt, non quia meruit, non quia Judæus prævaluit, sed quia ipse voluit. Voluntariè sacrificabo tibi Domine: quia voluntariè oblati es pro mea salute, non pro tua necessitate.

EX